ondum. S. P. Vir admodum Reverende et Clariss.

70) Post silentium diuturnum et iter longinquum per Galliam
et Germaniam ad te scribo, ut reducem me scias et vestri
memorem, si nostri adhuc penes vos viget memoria. dissolvi
hac vice iter Italicum, quoniam revocatorias accepi Lugduni
Allobrogum ob mutationes obortas in mutabili nostra Frisia.
continuaturi porrò iter, si deo placet proximo vere. Iter habui
auspicatum, interim jam incipio satur esse jactationum hujusmodi.
Quid futurum nescio. Comes Frisiæ Orientalis de promotione ad
secretariatum nuper injecit mentionem; Professores amici Groningæ
practicæ de professione philosophiæ pract. denuo proponunt. Paratum me
ostendo ad alterutrum, interim de successu utriusque ego despero
ob dissensiones in hac, corrupta consilia in altera Provincia.
Exitus in Dei manu est, cui integrum de me relusque meis relinquo
arbitrium. Non spero me frustra creasse et tot molestiis objecisse
Deum. Interea quod semper in votis habui, divini humanique juris
mihi acquisivi haud poenitendam notitiam, et quantum in hac
corruptione potui, illæsam servavi famam et conscientiam.
Jam mira tibi narro et præsertim uxori tuæ, post evitatos tot
scopulos, in Scyllam pene incidi in Ost Frisia. Amore correptus
sum virginis egregiæ et multis exambitæ ibidem, quæ et dedit consensum
requirenti, nescio ex qua sympatia occulta, verum sub conditione
consensus illorum, quos præterire nequit. Nihil obstabit votis, nisi
res nimium lauta domi, quæ etiam nobilibus, sed Groningianis, tam
opimæ prædæ injecit desiderium, et sine successu hactenus
ambitum. Miraris, quidni? nam et ego miror, quod juvencula
20. annorum, præteritis junioribus me amet, et quod ego de
matrimonio illi loqui ausus sim, quod hactenus feci nemini, et illa
statum annuerit, quod recusavit hactenus omnibus. Etiam hic de
successu valde dubito, interim amoribus ejus delector ex animo.
Responsum expecto parentis ac filiæ, atque tum pro re nata urgebo
aut deseram hoc negotium. Nam odi difficiles nugas, et nimium
suspectam habeo fortunam. Non potui quin rem hanc mihi ipsi
fere ridiculam, tibi communicarem, quam præter Dn. Freitagium
communicavi nemini. Fortassis dum requiem ac gaudia somnio,
novum jam instat iter, novæ turbæ et jactationes. Nil asperius
mihi est, quando pistrinum Franequerense animo recolo. Cuicunque
futurum sit, lætor jucundo hoc interscenio. Quæso proximis tuis
edoceas, ubinam locorum testudinem meam inveniam, quam ad
fallendas horas solitarias sæpe mihi exopto, principalement
quand ie songe a ma maistresse. Sat nugarum. Rogo ut
prima quaque occasione de tua tuorumque valetudine certiorem
me reddas, qui uti fui, ita semper futurus sum

R

Rᵈᵉ Cl.ᵗⁱˢ tuæ

Deditiss.

Jos. Hippel

Groningæ 27. Jun. Ao 1652.
[...]um faustum ac felicem tibi tuisque
[...]ecor[?] [...]. Baccio le manibella[?] sua
[...]glie et alle sue figliole, et al S. Uestenus[?]

Literæ tuæ Groningæ in ædibus Gen. Colonelis Ezzinga[?] mihi venient, in der Gotsingar[?] strat.

Viro admodum Reverendo
et Clarissimo, Dno
Johanni Cocceio, SS. The-
ologiæ doctori et Pro-
fessori celeberrimo in
Academia Leidensi

Leiden.